



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

Disputatio Ordinaria ex Jure Nat. & Gent.

22

De

JURE JURANDO,

SECUNDA,

QUAM

Auspice Numine,

PRÆSIDE

HENRICO COCCEJO,

U. J. D. Jur. Nat. & Gent. P.P.
Ord.

Publicæ ventilationi exponet

Philippus Ludovicus Geuderus,
ab Heroldsberg / Nob. Franc.

Ad Diem XIV. Februarij In Aud. Philosoph.

✂:o:✂

HEIDELBERGÆ,

Typis Wilhelmi Walteri, Acad. Typogr.

M DC LXXIV.

§. 16. **D**iximus Disp. præced. voce *Jurandi* denotari *affirmationem religio-*
giosam: §. 6. Unde sequitur, si quis simpliciter saltem (consul-
 tō tamen) asserat, *se jurare*; vel dicat: *juro id ita esse*: seu *jureju-*
rato id promitto, id continere assertionem religiosam, & esse veram jurisj.
 speciem, eumque, qui id violat, perjurii reum esse. §. 17. Unde
 porrō sequitur hęc formulā, *loco jurisj. An Eydēs oder geschwornen Ey-*
des statt angeloben / contineri veram jurisj. speciem: & esse assertionem
 religiosam. §. 18. Sed quæritur, per quem ex tali formula jura-
 tum intelligatur? Resp. Per ipsum Numen: cū enim reliquæ res, per
 quas jurari potest, definitæ non sint, non potest ex illis certa aliqua spe-
 cies intelligi, nisi illa exprimat; cū aliās sint incertę & indefinitæ: un-
 de necessariō per Numen juratum videbitur; idque eō magis, quia illud
 intelligitur religione simpliciter & absolutē posita, utpote quod simpliciter
 & eminentiore modo est sanctum & inviolabile: quod si ergō quis nolit per
 Numen jurare, addere debet, per quod jurare velit, cū aliās id sciri ne-
 queat. §. 19. Hinc ulterius efficitur, etsi quis juret *per certam*
arborem, lapidem, &c. cui religio non inest, esse veram jurisj. speciem per
 ipsum Numen: dum enim *jurare se* dicit, *religiosam assertionem* innuit, §. 6
 §. 16. quæ simpliciter facta per Numen facta intelligitur, §. 18. adjecta autem
 mentio rei, cui religio non inest, inutilis est & supervacua, adedq; jusj.
 ipsum non vitiat, sed perinde est, ac si non adjecta, sed simpliciter juratum
 esset: quæ quoque est sententia *Augnst. c. 10. XXII. q. 5.* §. 20. Quod
 si ergō formula hęc; *An Eydēs statt*, non simpliciter concipiatur, sed ad-
 jecta certa specie, *uti in R. I. 544. §. 60. 61. Bey wahren guten Treuen*: non
 censetur juratum per Numen, §. 18. sed tantū per fidem, §. 8. cujus signum
 est dextrarum conjunctio, quā denotatur vinculum ac firmitas promissi seu
 asserti. *d. 6. 60. & 61.* similisque species est in *d. R. I. §. 59. Bey Fürstlichen*
Würden und Pflichten. §. 8. aliud autem in formula *Bey ihren Christlichen*
Gewissen. in d. §. 59. quomodo tantū per Numen jurari potest, §. 11.
 §. 21. Agemus jam porrō de *jurej.* per Numen, de quo quod dicitur,
 suo modo ad reliquas species applicandum erit. Imprimis jam constat,
 jusj continere summam venerationem ejus rei, per quam juratur, utpotē
 quam advocando, sanctam & inviolabilem contestamur, §. 6. aded ut eam
 quoque fidei, rei inter homines sanctissimæ adstringendæ adhibeamus, §. 7.
 Unde Horat. ad exprimendos summos Augusti honores, ait: *Jurandasque*
ruum per nomen ponimus aras. §. 22. Hinc patet, quā sit insul-
 sum, prohibere hominibus jurare per Deum in negotiis necessariis, & sub
 veneratione

veneratione Numinis potius, quàm alterius rei sanctæ fidem obligare: quasi potius nefas sit, Numen, quàm aliam rem sanctam venerari: & impium, id tanquam rem sanctissimam colendæ fidei gratiâ invocare; quæ pars est cultus Divini haut infima

¶ 23. Inde ulterius sequitur jusj. non nisi summa cum veneratione esse adhibendum: ac proinde non inter sermones quotidianos, viles ac vulgares: res sancta enim vel maxime profanatur, quando adhibetur ad usus vulgares, viles seu profanos: omninòque in contemptum Nominis divini redundat, quando illud sine necessitate, sine reverentia, quin & sine ulla ferè Numinis cogitatione misceri sermonibus quotidianis solet.

¶ 24. Et de istis λόγοις, seu sermonibus vulgaribus, ne iis jusj. misceatur, loquitur disertè Servator, *Math. 23. vers. 37.* unde & eadem ratione prohibet, non tantùm ne per Numen, sed & ne per *coelum, terram, templum, urbem*, quæ Numen quasi incolit, juretur: quia scil. & in his formulis per ipsum Numen juratur. §. 12. imò, nec per *caput nostrum* ad istos sermones vult jurari: quia ne quidem est in potestate nostra capillum ejus album aut nigrum reddere, nedum vilibus sermonibus ejus honorem adhibendo dehonestare. In his ergò sermonibus quotidianis simplici assertionem, est est, nō non, utendū dicitur, non jurej. ¶ 25. Unde patet, erroneam esse hypothesin Canonum, qui ad solos sacerdotes istam prohibitionem Servatoris restringunt, *c. 1. 2. 3. 4. II. q. 5. c. 1. c. 7. iuram. Cal. & c.*

¶ 26. Planè ergò non loquitur Servator *d. loc.* de negotiis contrahendis in quibus de fide, re sanctissima, adstringenda agitur. §. 22. ad illa enim non pertinent verba: *Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν & c.* sed ad sermones & colloquia quotidiana.

¶ 27. Cùm ergò jusj. non temerè, aut in rebus vilibus sit adhibendum, & imprimis, cùm contineat simul imprecationem vindictæ divinæ, cautè illa sit arcessenda, & non nisi causæ gravitas id postulet, prudenter Judæi & Canones statuunt, in causis levioribus non statim per ipsum Numen esse jurandum, sed per res minoris momenti; unde Clerico in tali causa per sanctam consecrationem respondere injungitur. *c. 4. II. q. 5.*

Cui formulæ non multùm absimilis est vetus illa Hebræorum, qui ἐν ἰσὶ δώσῳ, seu בקרבן id est, per oblationem seu sacrificium jurabant. *Math. 23. vers. 18.* à qua planè diversum est illud voti genus apud *Math. 15. vers. 5.* de quo *disput. seq.*

¶ 28. Videtur quidem his formulis per ipsum Numen jurari, cujus respectu sit consecratio. §. 12. sed nihilominus formula est mitior: constat enim in formulis respectu ejusdem quoque Numinis, alias aliis esse moderatores.

¶ 29. Hæc de formulis jurisj. Hoc quando violatur ultrò, animo sc. fallendi aut mentiendi, *perjurium*, dicitur

§ 20

§. 2. perjurium enim dolum & præpositum violandi continet, & perjurum dicimus, qui sciens fallit: unde in formulis: *si sciens fallam.*

§. 30. Aliquando tamen vitatur jusj. etsi animus ille fallendi non adsit: nam sine proposito pejerandi aliud tamen vitium juri. inesse potest: aliàs enim nulliter, aliàs temerè, aliàs malè quoque juratur; quod, quibus modis fiat, videndum.

§. 31. Cùm enim jusj. sit assertio, §. 6. assertio a. sit sententia mentis verbis a. literis expressa, §. 3. requiritur necessariò tum scientia, tum consensus seu voluntas in jurej. animus enim asserendi, qui in assertione requiritur d §. 3. continet consensum; consensùs autem principium est scientia: non enim potest quis velle, nisi quod priùs cognovit.

§. 32. Scientiæ contrarius est *error seu ignorantia*; consensui *vis ac metus*: sed cum hac differentia, quòd error & ignorantia tollant & excludant scientiam; vis autem & metus non tollant omnem consensum, quinimò circumstantiis præsentibus consensum omninò ponant, licèt minùs liberum.

§. 33. Quod attinet ignorantiam, constat aliam esse innoxiam & culpâ carere; aliam verò continere culpam, quando scil. quis nescit, quod scire debet & potest.

§. 34. Quod si ergò verba pronunciat, quæ non intelligit & quibus jusj contineri nescit, nullum est jusj. cum mera hìc sit ignorantia §. 31 & jusj. in animo, non in verbis consistat. §. 3. & cùm insuper culpa hìc non sit, §. 33. jusj. planè non obligat.

§. 35. Quod si verba intelligit, rem autem nescit, quam affirmat, licèt eam veram esse putet, temerè jurat: quamvis enim perjurium non sit, cùm non fiat fallendi animo, §. 29. est tamen perjurio proximum, & culpa saltem latissima: quia scit vel scire debet, alii pro certo affirmari non posse, quod ipse ignorat: unde peccat etsi verum dicat; quia ignorantia talis culpam continet. § 33. Reliqua in seq. Disp.

Corollaria Respond.

4. *Qui se non defendit, cum aliter inimicam manum avertere nequit, sed invasori jugulum præbet, contra se ipsum peccat: igitur omnibus defensio sua licita est, & Magistratus pro justa causa subditorum aut propria rectè bellare potest.*
5. *In bello stratagemata permessa sunt, melius enim est astu & calliditate vincere, quàm multa sanguinis profusione, civitatum everfione, & Regionum vastatione*
6. *Homo non sibi, sed omnibus natus est, omnes igitur obligamur, ut dona à Deo nobis concessa ad communem generis humani salutem conferamus.*
7. *Sic dilige proximum tuum ne te odio prosequi videaris.*
8. *Ut vitemus occasiones peccandi? frustra solitudines querimus, etenim Lox qui in Sodomis non peccavit, peccavit in monte.*

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

mit V 17







ure Nat. & Gent.

22

ANDO,

A,

mine,

D E

OCCEJO,

& Gent. P.P.

ni exponet

us Geuderus,

Nob. Franc.

In Aud. Philosoph.

RGÆ,

ri, Acad. Typogr.

XIV.

